



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 58. Joyosa Cardinalis pro inclinando Pontifice Romam profectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. gum contra Clerum sancitarum execu-
 A. C. 1607. tio, donec amica utrinque desuper
 compositio fieret, suspenderetur, amb
 captivi Sacerdotes Pontificis Delegati
 traderentur, atque edicta contra Inter-
 dictum promulgata revocarentur, Re-
 ligiosis etiam, qui e ditione Veneta e-
 migrarunt, in integrum restituti. Vi-
 cissim vero Pontifex Interdictum abo-
 leret, eodemque tempore, quo Joyosa
 Cardinalis & Alincurtius hosce con-
 cordiæ articulos Pontifici consignave-
 rint, hic Joyosæ Cardinali diploma de
 revocando interdicto simul committeret.

§. LVIII.

*Joyosa Cardinalis pro inclinando
 Pontifice Romam profectus.*

F. Paolo
Istoria l. 6.
lib. 7.
Merc. Gallo-
belg. tom. 6.
lib. 2.
Daniel hist.
de France
tom. 15.
Thuan. l. 137.

Prospero hoc negotiationis suæ suc-
 cessu lætissimus Joyosa Cardinalis
 die vigesima quarta Martii Romam con-
 tendit de Venetorum decreto Pontifi-
 cem edocturus. Hujus adventu Ro-
 mana Curia haud parum concitabatur
 ac unusquisque prout affectus erat, suum
 desuper judicium ferebat, quibusdam
 reconciliationem anhellantibus, aliis
 eandem abhorrentibus: ipse quoque
 Pontifex primis diebus inter concordie
 desiderium, & imminuendæ Majestatis
 suæ formidinem fluctuabat. Eodem
 autem

autem, quo Cardinalis advenerat, die Sæc. XVII.
A. C. 1607.
 Baronius & Perronius Cardinales Pa-
 pam rogabant, ut Joyosam benigne ex-
 ciperet, & concordiae conditiones a
 Franciæ Rege propositas grato animo
 acceptaret. Postridie Joyosa ad Pon-
 tificis alloquium admissus, quid post
 acres disceptationes, multasque diffi-
 cultates superatas tandem Henrici IV.
 opera cum Venetis transactum esset,
 pluribus exposuit: cum vero sermonem
 de Jesuitarum revocatione inspergere
 oporteret, ex Alincurtii & Gallorum
 Cardinalium consilio, dissimulatione
 utendum ratus ajebat, quod eorum re-
 stitutio oppido difficilis, non tamen om-
 nino desperata foret, ac ipsemet oppor-
 tunum excogitasset medium, quod, si
 suæ Sanctitati bene visum fuerit, cete-
 ris semel complanatis expositurus esset.

§. LIX.

*Gravis in perficiendo negotio difficul-
 tas ob Jesuitarum revocationem
 suborta.*

Totam noctem Pontifex inter recur-
 santes vigiles curas insomnem du-
 cebat, ac orta vix luce Joyosam & Alin-
 curtium ad se accersiri jubens revocan-
 dæ Societatis rationem sibi exponi pe-
 tebat. Cardinalis itaque hunc in mo-
 dum

K 2

dum